habent hoc. nichil aliud restat nisi ut dicamus quod est vera pax premium huius. Deus est in tanta pace quod neque
in personis est discessio aliqua sed perfecta concordia. neque in se ipso variatur. quos res in quibus est varietas
suos non similes sibi faciat. quia erunt incorruptibiles et inpassibiles et inmutabiles. et ita sibi concordes
quod de bonis aliorum gaudebunt tamquam de suis. Septimo loco ponitur. quia in sabbato ut requiei
dabitur illa pax transactis vi etatibus; quam et adam non habebat. sed quam consecuturus erat
in celum. completa illa obedientia acceperatus erat. Hec est illa pax de qua apostolus dicit. et pax dei
que exsuperat omnem sensum. Hec est illa de qua christus dicit. pacem relinquo vobis. p. m. d. v. Illic do. hic
relinquo. quia pax illa non potest haberi nisi in futuro. sed tamen aliquem relinquit dans in presenti. quod potest videri
in illis qui ita habent sedatos illicitos motus corporis. quod nullum bellum civile patiuntur in se. sed habent
animam rectam suam in hac vita. nec in conturbari possunt. qualibet modo. ut quecumque viderint modo. sed ipse
quieti sunt et alios reconciliare laborant. Unde dicitur. pax multa d. l. t. non tamen perfecta. Illa perfecta pax
et spiritus sapientie non differunt. Aliud est intelligentia et aliud sapientia. Intelligentia est qua investi-
gantur res et discernuntur. Sapientia est qua non investigamus sed iam sapientes sumus. et in ipso bono
sapientie delectamur. Hec idem est illa pax qua deum servitari non laboramus. sed in eo tamen cognito
delectabimur. et tunc erimus filii dei. quia similes ei efficiemur. quod oramus cum dicimus. sanctificetur
nomen tuum. id est detur nobis nomen sanctum tuum. quod filii tui et dii appellemur. Unde sunt pacifici qui
faciunt beatos. Octava vero que agit de persecutione. communis est. Nichil est nisi probatio
superdictarum. Verus enim pauper in hac fornace probatur. et verus mitis. et verus iustus. et verus
misericors. et alii si sunt veri. fortiores et puriores in igne fiunt. si falsi. defi-
ciunt et resiliunt. et de singulis potest dici. alii qui patiuntur. et alii qui non patiuntur. et in
singulis gradibus qui patiuntur sunt meliores. Octava nichil est nisi prima repetita. Unde et eadem
remunerationem habet cum prima; Sed agamus de remunerationibus; pauperibus promittitur
regnum celorum. quia minus non potest haberi quam illud quod est commune et generale premium. Sed cum in
octavo eadem retributio repetatur. differentia tamen intelligendum est. Sic enim legitur. Beati
pauperes spiritu. quoniam ipsorum est r. c. in spe. et si in purgatorio igne quidam eorum ad horam
purgantur. non tamen ambigunt se recepturos regnum celorum. Qui autem patiuntur persecutionem.
habent regnum celorum. non tantum in spe sed et in re. quia cum moriuntur pro christo. statim ascendunt in
celum. Hic ideo ita legitur. non quod utrique non recipiant in re regnum celorum. sed ut designetur quod
quanta differentia est inter illum qui habet in spe et illum qui habet in re. tanta differentia est retributionis
illius qui non patitur. et illius qui patitur. Mitibus congrue possidere terram. quod potest videri per contrarium.
Inmites non possident se ipsos. perdita res suas: sed semper litigant et semper dissident. Sed
mites qui se ipsos possident. et reparaverunt hereditatem patris in futuro possidebunt. plus est
possidere quam habere. Multa habemus que in crastino amittimus. sed maior est retribu-
tio mitis quam pauperis tamen. Nota non quod merito promittitur pauperi regnum celorum. et mitibus
terra. Sic diabolo eiecto de celo data sunt ima. ita convenienter lugentibus
promittitur consolatio. ut qui contristatus est in presenti. gaudeat in futuro. et sic plus est gaudere
in regno habito quam habere ad horam. vel possidere regnum. multa enim possidemus cum
dolore. sic maior retributio lugentis est quam pauperis et mitis. Nam qui habent sequen-
tes virtutes. habent et precedentes. Sed non qui habent precedentes. habent semper non dico in mente.
sed in exercitio sequentes. Iure respondet esurientibus. facie ad faciem saturatio. quia
sic plus est saturari in palatio. quam consolari a luctu. sic maior est merces. quam a malo separari. Que
separatio ut diximus in tribus precedentibus notatur. Misericordibus misericordia impenditur. ut plus